

**De Judiciis Ecclesiasticis Ad Germaniæ Catholicæ  
Principia Et Usum**

De iudiciis criminalibus

**Zech, Franz Xaver**

**Ingolstadii [u.a.], 1766**

Titulus IV. De Processu Informativo.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68185](#)

## TITULUS IV. DE PROCESSU INFORMA- TIVO.

### §. 60.

*Informa-  
ri debet  
Judex* CRIMINE in Judicium deducto, capitur Informatio per Processum, ut vocant *Informativum*. Ad hunc in primis requiritur, ut constet de Corpore delicti, scilicet an factum sit, de quo aliquis accusatur, denuntiatur, vel ex aliis indiciis reus præsumitur. Si delicta sint facti permanentis, quorum remanent vestigia, ut homicidium, incendium, vulnus, furtum cum effractione; de his debet constare per plenas probationes, per inspectionem ocularem &c. Si vero sint facti transeuntis, quæ non relinquunt vestigium post se, uti adulterium, blasphemia, injuria verbalis; in his sufficientia & conjecturæ ad hoc ut constare censeatur de corpore delicti, cum aliunde super his plena probatio haberi non possit. Huic informationi non multum est immorandum in delictis notoriis, vel coram Judice perpetratis, vel per propriam confessionem ma nife-

*De Processu Informativo.* 71

nifestatis. Si periculum sit in mora,  
& delinquens credatur fugere , po-  
test contra suspectos devenir ad cap-  
turam, vel petendam cautionem de  
se repræsentando , quamvis de deli-  
cto nondum plene constaret.

§. 61. Non sufficit autem, ut con- *De Cor-*  
*stet de corpore facti*, sed debet con- *pore De-*  
*stare de corpore delicti.* Hoc est, non *litti*:  
tantum debet constare de cadavere  
reperto in aquis , vel signa veneni  
præseferente; sed etiam constare de-  
bet, quod homo per malitiani alte-  
rius in aquas projectus , vel vene-  
num ex industria propinatum sit.  
Hoc si sit dubium , opus est oppor-  
tuna Informatione , ut veritas deli-  
cti elucescat , quæ ex variis circum-  
stantiis , exhibito peritorum judicio,  
deprehendi solet. De tali visitatione  
corporis delicti , quod *Visum Reper-*  
*tum* appellatur , Actuarius vel Nota-  
rius omnia accurate annotet , quæ  
visa vel reperta fuerint , observatis  
iis, quæ in priore Sectione Tit.XXX.  
§. 416. seq. de oculari Inspectione  
sunt tradita. Si ex ejusmodi Infor-  
mationibus scelus abesse constiterit ,  
filebit Processus : si autem inde re-

72      Sect. II. Tit. IV.

sultarent indicia criminis , ad ulte-  
riora progrediendum est.

*Et de in-  
diciis  
contra  
Reum ,*

§. 62. Quando sufficienter constat  
de Corpore delicti , debent etiam,  
ut aliquis inter reos constitui possit,  
particularia contra ipsum procedere  
indicia. Examinandi igitur sunt te-  
stes pro Informatione Curiæ , ex quo-  
rum dictis vel constet de delinquen-  
te , vel saltem aliqua resultent indi-  
cia , quod ille delicti reus sit. Ta-  
les testes regulariter recipiuntur par-  
te non citata , & secreto. Quamvis  
autem circa dicta testium , ex quibus  
captura decernitur , vel tormenta  
inferuntur , sit diligentissima inda-  
gatio facienda , nihilominus possunt  
etiam testes inhabiles ad examen ad-  
mitti , quia ex illorum dictis saltem  
dari potest materia inquirendi veri-  
tatem. Unde tale examen inchoari  
solet ab iis testibus , qui censentur  
magis informati , quam alii , ut sunt  
domestici , affines , vicini. Interro-  
gari autem hi testes solent , an deli-  
ctum commissum esse sciant ? unde  
illud cognoverint ? quem delicti au-  
torem censeant ? cur hunc , non a-  
lium ? quid ? quale ? quo tempore ,  
loco , modo , & quibus aliis circum-  
stantiis

stantiis commissum? quid iis amplius de delicto commisso cognitum ac perspectum? Ex depositione autem horum testium non debet Inquisito magnum præjudicium creari, antequam huic concedatur facultas illos reprobandi, & contra eorum personas, aut dicta excipiendi 76.). Præter testes saxe perquiruntur ædes eorum, qui suspecti sunt, ad effectum videndi, an aliquid reperiri possit, quod jura fisci vel fundet, vel adjuvet; uti si cui imputetur, quod arma prohibita retineat, libellum famosum confecerit, furtum commiserit, falsam monetam percusserit &c.

§. 63. Si habeantur ex captis informationibus sufficientia indicia contra *incarcerandum* delinquentem, Judex eum circumscripti, vel ad comparendum, & se exonerandum, ac indicia elidenda. Si inquisitus sit præsens, saxe locum regni habet citatio realis per capturam, & incarcerationem. Si vero sit absens, fieri potest per Edictum affixum in locis publicis Curiæ, vel a Judice Ecclesiastico in januis Cathedralis & majoris Ecclesiae, implorato

E 5                    etiam

---

76.) C. 24. de Accusat.

74      *Sect. II. Tit. IV.*

etiam, si utile videatur, brachio seculari. Interim etiam hodie bona rei fugitivi annotantur in iis delictis, quæ pœnam capitalem, vel corporis afflictivam merentur, non vero in levioribus 77.). De Jure quidem civili carcer non datur ad pœnam, sed tantum ad custodiam 78.): de Jure autem Canonico datur etiam ad pœnam Ecclesiasticis personis 79.): in præsenti Processu Informativo carcerari potest Clericus, si suspectus sit de fuga: fieri id tamen debet sine violentia, aut injuria, sed cum modestia, & decentia status Clericalis, ac sine dedecore, nec ex qualibet levi causa, aut sine præviis indiciis, quia carceratio infert Clericis grave præjudicium, ac infamat, maxime si Clericus sit bonæ opinionis apud homines, cum etiam ex sola accusatione ejus existimatio aliquando gravetur.

§. 64.

77.) MEVIUS ad Jus Lubecens. lib. 4.  
tit. 4. art. 13. GEORG. A WIDMONT  
ad ff. de requirendis vel absentibus  
damnandis.

78.) L. 8. §. 9. ff. de pœnis. L. 6. C. eod.  
L. 1. & 2. C. de custod. reor.

79.) C. 6. de pœnis.

§. 64. Post carcerationem Rei, pro- *Sequitur*  
ceditur ad illius examen, propositis *Examen*  
interrogationibus non suggestivis,  
aptis tamen ad effectum habendi ve-  
ritatem de delicto, super quo inqui-  
ritur, ex ejusdem Rei ore, cum nul-  
la major probatio sit, quam proprii  
oris confessio, modo ex informatio-  
ne constet saltem semiplene, quod  
ipse delictum, de quo inquiritur,  
commiserit, vel adsint indicia æqui-  
pollentia: alioquin Judex non legi-  
time interrogaret, nec reus teneretur  
respondere. Si autem Judex a Reo,  
vel a teste injuste, hoc est, per mi-  
nas, vim, aut tormenta extorqueat  
secretum delictum, de quo nulla ex-  
tant indicia, infamia, aut probatio,  
in tali casu non potest Judex ulterius  
procedere, nec Reum punire: idem  
potest dici, si non culpa Judicis, sed  
iniquitate Ministrorum id fiat.

§. 65. Hoc Examen vocari solet *Fit Con-*  
*Constitutum*, & plerumque incipit a *stitutum*  
verbo *Constitutus personaliter*: & requi-  
rit singularem peritiam Judicis, qui sæ-  
pe artificiosis suis interrogationibus  
*confessionem elicit*, quam non elice-  
ret

ret tortura 80.). Interrogationes debent fieri super quolibet indicio singillatim, & super circumstantiis, quæ attingunt ipsum factum: non improbo praxin eorum, qui permiscent Interrogatori: non necessaria, ne Reus connexas eodem filo responsiones reddat, sed magis de veritate ad singulas interrogations redenda solicitus sit. Imponi igitur debet juramentum de veritate dicenda compelli etiam pœnis potest ad respondendum, si omnino nollet respondere, vel saltem non congrue. In fine autem examinis jubeatur subscribere nomen suum, aut saltem formare signum crucis, si nesciat scribere. Nonnunquam fit confrontatio testium, vel sociorum criminis. Si his omnibus non obstantibus non fateatur crimen, finitur Processus informativus. Si actus aliquis non potest finiri uno die, differtur in alterum judiciale, quæ dicitur *Diffissio*. Hæc concipiebatur apud Romanos hac formula: *Hic dies diffissus esto 81.*)

TITU-

---

80.) Hujus examinis & constituti formulas exhibet PELLEGRINI in Praxi Vicar. p. 4. sect. 9.

81.) A. GELLIUS noct. attic. lib. 14. c. 2.